

Q. 534

B. 11

X 1986/189



HISTORIA

SACRA ANNAE VXO.

RISELCANAE ELEGIA

CO CARMINE REDDITA ET DE

dicata Nobili & Generoso viro
virtute & prudentia prestan-
tissimo, Domino Iohanni
in Ebeleben.

Autore M. Hieronymo Ofio
Schloteimensi,

VVITEBERGÆ.

M.D.LV.



12



Handwritten numbers and scribbles at the top of the page, including "183" and "184".

HERSTORF

AN DER UNIVERSITÄT

WÜRZBURG

VERLAG VON

Dr. phil. phil. phil. phil.

Dr. phil. phil. phil. phil.

Dr. phil. phil. phil. phil.

Dr. phil. phil. phil. phil.

Dr. phil. phil. phil. phil.



Dr. phil. phil. phil. phil.

Dr. phil. phil. phil. phil.

15



NOBILIT ET GENEROSO

VIRO DOMINO IOHANNI AB

Ebeleben D. suo reueren-

ter colendo

S. P. D.

Magnam uera decus prudentia laudeq; dignum
Si quem conspicuo collocat illa loco.
Nobilitat uirtus magis hæc & honoribus auget,
Nomine præstantem nobiliore uirum.
Hæc regit ambigui perplexa negocia uulgi,
Inq; graui caussa uim dominantis habet.
Hæc quæ facta decent sapienti ponderat arte,
Et mala consilijs lenit acerba bonis.
Magna Ducum Graiæ fuerat prudentia gentis,
Ipsa regenda quibus Græcia tota fuit.
Hæc Pylius uirtute senex præcelluit olim,
Carus & Atridæ Dux erat ille Duci.
Sæpius in foelix exercuit omen Achiuos,
Ille quod auertit calliditate sua.
Motaq; terribili compescuit arma tumultu,
Orta per socium seditione gregem.
Quin quoq; consilijs pollens Agamemnona rexit,
Qui caput Argolici militis unus erat.
Omnia solus enim sapiens uir robora uincit,
Ingenio cedunt illius arma uiri.

A ij

Hæc

Hæc illum sequitur uicturæ gloria famæ
Dum Titan rutilos axe retorquet equos.
Horum laude pari quoq; te decorare uirorum,
Nouimus illustri stirpe create, chorum.
Nobile cui duplicant prudentia pectora nomen
Vnde decus geminæ nobilitatis habes.
Hæc tua me uirtus uirtutis adegit amantem
Vt mea uile tibi musa dicaret opus.
Hæc spe fulta quidem tua quod prudentia nostro
Arbitrium digna lance labore feret.
Historiam cecinit uulgari carmine sacram,
Iussit & auspicio uulgius adire tuo.
Hanc uir magne precor pacato perlege uultu
Cui peragrare sacros magna cupido libros?
Si non magna mei est, (quod nō nego) gratia uersus
Materiæ forsitan gratia maior erit.
Illa Deo gratum est celebrari exempla per orbem,
Nuncia diuinæ quæ bonitatis erunt.
Ergo nihil dubito tibi quin placitura uoluntas
Sit mea, nam musis uir generose fauces.
Oß tua Meccenas benefacta uel alter habendus,
Laude quibus dignam condis alisq; scholam.
Hæc mihi causa tuæ, Latine cur dona Camcenæ
Dædala ad arcis abhinc dona ferenda darent.
Et tua quod patriæ est fautrix prudentia nostræ,
Quæ tua consini contigit arua solo.

HIERO: OSIVS.

HISTORIA ANNÆ.

Profuit historijs exempla recondita sacris,
 Cuncta per humanum nota uolare genus.
 Alma quibus sese miris clementia factis
 Prodit, & agnosci per sua facta cupit.
 Vtilis ergo labor dignum celebrare relatu
 Exemplum bonitas quo patefacta Dei est.
 Vnde Deus quam sit patet exorabile numen,
 Supplice quam uinci se prece sæpe sinat.
 Vxorem uir fulcra thori ueneranda duarum
 Hac Elcana colens forte beatus erat.
 Vnus erat coniunx, eadem fortuna duabus
 Non erat, & foelix hæc erat illa minus.
 Vna iugalis erat quia foelix foedere lecti,
 Altera sed socij laudibus orba thori,
 Gloria parta tamen cui casu maior in isto est
 Hæc fuit à patria dicta Phenenna domo.
 Altera quæ thalami sine pignore iura colebat,
 Huic Annæ nomen pagina sacra dedit.
 Quæ mœret nulla se factam prole parentem
 Cordaq; luctifico plena dolore gemit.
 Altaq; de tristi suspiria pectore rumpit,
 Et tacitum longo tempore uulnus alit.
 Mœsta graues geminat nullo spectante querelas
 Assiduaq; Deo fundit ab ore preces.

Iuncta maritali cur inquit foedere dicar,
Dum modo coniugij nomen inane fero?
Hei mihi turpe nimis socias sine pignore toedas,
Turpe nimis frustra tam sacra pacta coli.
Nil iuuat assiduos thalami tolerare labores,
Præmia si tanti nulla laboris erunt.
Ut nihil ista ualent quæ non data dextera firmat
Pacta, fidesq; carens, irrita, teste fuit.
Sic rata coniugij non ulla futura uoluptas,
Hoc nisi firmet opus prolis origo nouæ.
Est infame piæ matronæ dedecus, expers,
Si qua fuit sacri laudis inopsq; thori.
Quare summe parens nisi me mulieribus unam
Omnibus exemplum turpe fuisse uoles.
Ne trahat æternum pater hæc infamia damnum,
Da tenera genetrix prole beata ferar.
Fac diuturna moræ numerosa prole rependas
Damna, mihi lucrum spes ea grande feret.
Diuitijs potior thesaurus hic omnibus esto,
Gloriaq; hæc uoti summa sit una mei.
His fuit usa diu mulier conspecta querelis,
Nuncius incessus tristitiæq; fuit.
Sæpe quis obseruans gemitus quos ederet ægra,
Hoc sibi quid gestu foemina quærat ait.
Ni foret illius pietas mihi nota putarem,
Hanc animi sana non ratione frui.

Muta

Muta quid ora mouet nullisq; sonantia uerbis,
 Labra quid oppresso commicuerere sono?
 Hanc quæ sollicitet sic cura maligna necesse est,
 Arguit indicio quod dolor ille suo.
 Nam conquesta grauem secum taciturna dolorem
 Dat lachrymis luctus signa, rigata genas.
 Mille tot inter ait sociatas una maritis,
 Auctam progenie non queror esse domum.
 Num fortuna nihil me per sua tela fatigans
 Te mouet ut demas probra pudenda Deus?
 Suscipe uota pater tenera pro prole feruntur,
 Hac ornare thorum laude memento meum.
 Munus & illud erit mihi carius omnibus unum,
 Mœstitiæ minuet materiamq; meæ.
 Deme pater nostram mala cuncta prementia famã,
 Et pro damnosis gaudia redde malis.
 Explicet hæc uultum mihi comprecor hora serenũ.
 Nube micet pulsa gratior una Dies.
 Quam precor illa tibi non res onerosa uolenti,
 Nil te nostra Deum caussa grauare potest
 Prompta tibi modo sit dare dona petita uoluntas,
 Nil labor impediet nam tibi nullus erit.
 Inter matronas da me numerarier istas,
 Magna quibus partu gloria parta fuit.
 Progeniem nostro modo da de sanguine cretam,
 Aq; mea pelles dedecus omne domo.

Da pater infami sobolem pro clade paternam,
Vbere materno, quam reuerenter alam.
Hac ratione meo dilectior esse marito
Dicar & ambobus gloria maior erit.
Coetera nil fugiam quæ ferre pericla iubebis,
Hoc modo si poterit te tribuente dari.
Perq; tuam sobolem, quam nullam cura repulsam
Ferre paterna sinit, pignora parua peto.
Si pater impos ero non illius inclyte uoti,
Irrita si uenti non mea uerba ferent.
Si qua mihi nostro nascetur sanguine proles,
Hanc propriam templis ecce dicabo tuis.
Munia thuricremas ut sacra ministret ad aras,
Assiduumq; sua munus honoret ope.
Quod tener omne puer modo munus obire ualebit,
Sedulus assidue matre monente geret.
Dum modo sim genitrix hoc tu potiare ministro,
Sit satis hæc uoti commoda ferre mei.
Progenieq; sata si me dignabere matrem,
Hæc pro sperata munera sorte feres.
O hominum genitor da nominis illius usum,
Ut decorata noua laude parentis eam.
Ecquid opem differs quam dissimulare paternus,
Non sinit & subito promere cogit amor?
Tu uideare licet precibus nil cedere nostris,
Ne mora sit bonitas, longa, paterna uetat.

Sepe

Sæpe negaturi tibi gestus in ore petendum
Munus at instanti mox prece uictus abis.
Has matrona diu mœrens sectata querelas
Dum non polliciti spem melioris habet..
At licet hæc sacra sit in æde notata frequenter
Fundere continuas ore micante preces.
Labra pudica tamen leuiter dum mota micabant
Edidit hæc nullis murmura blæsa sonis.
Sed dum uisa loqui est nullius uenit ad aures
Vox extra cordis nec loca fecit iter.
Ora querentis erant & dira pericula passæ,
At gestus caruit conueniente sono.
Fertur id in templo diuina sorte sacerdos
Heli sollicita mente notasse senex.
Illud cui nomen tribuit diuina uoluntas
Quod sacer antiquo more minister erat.
Qui quia uox similis non est deprensa loquenti
Annæ, quod uino uicta sit illa putat.
Quo super iratus tu quanto tempore dixit
Ebria uesano ludis inepta mero?
Ecquod in æde scelus madido insanire Lyæo,
Ecquis & hac templum labe notare furor?
Cui non digna satis responso facta roganti
Arcanæ mulier conscia sortis ait?
Me uenerande loqui titubantia uerba sacerdos
Credis & illius criminis esse ream.

A 5

Te tæo

Te tamen ambiguis tua fallit opinio signis,
Teq; precis nostræ nescius error agit.
Non delira mero, sed torqueor anxia curis,
Quas mihi coniugij caussa maligna parit.
Quisquis erit mecum qui sic uolet ebrius esse,
Ebrius hic nullo creditur esse mero.
Luxuriare mero me fors uetat illa dolentem,
Quod foelix thalami nulla sit hora mei.
Hæc me caussa feris turbatam luctibus urget,
Suggerit hæc curis materiamq; meis.
Hæc facit ut uidear non moribus apta pudicis,
Hinc errare mero mens tibi uisa mea est.
Quam non ulla prius poterit captare uoluptas,
Quam potiar uoti spe meliore mei.
Si mihi de partu data spes erit ulla futuro,
Munus id a Domino sit petijisse satis.
Hæc ego si foelix ero conditione quid obstat,
Quin rear optatum me tetigisse scopum?
Hoc prius aucta bono modo quæ me fata iubebunt,
Ferre feram, quouis tempore prompta mori.
Nulla mihi potior uiuæ uentura uoluptas,
Quam si non moriens nescia prolis ero.
Hæc tibi caussa loqui cur me ebria uerba putares,
Et nihil in sano corpore mente frui.
Has sonuisset ubi miserandas turbida uoces
Heli foeminea mox prece uictus ait:

Quod

Quod coniuncta uiro sterile scere corpora sentis,
Te premit & uacui pignore cura thori.
Ut genitricis eas titulo decorata secundo,
Incrementa domus parua tuaeq; petis.
Hæc si caussa uia est repetas tua tecta sacerdos
Dixerat, & facies mox noua mentis erit.
Non sine fine tuum turbabunt nubila pectus
Sed pulsa ueniet nube serena dies.
Pone metum & trepido nimium de corde dolorem
Nam flabit uotis aura secunda tuis.
Tu celeri tecti pede limen adire petiti,
Mox & eris scælix omen adepta, uelis?
Hæc erecta fide hæc mox frontem læta serenat
Rugaq; de uultu iam procul omnis abit.
Iamq; domum properans in uerba precantia uenit,
Supremum querulo flexit & ore Deum:
Te uinci precibus sua quem clementia uincit,
Dixerat o cœli conditor alme sinas,
Cuius opem mens est celerare rogantibus almam
Prompta, sit o uotis auris aperta meis.
Ne tua me bonitas, quæ profuit omnibus unam
Orbatam socij laude det esse thori.
Cur alias inter matres heu prole carentem
Me patria digitis uulgus in urbe notat?
Hæc ubi fata fuit palmis sua pectora plangit
Hausit & hinc animi robora firma fides.

Conatusq;

Conatusq; sui solamina credula cepit,
Nam firmavit eam spiritus ille sacer.
Factaq; compos erat promissæ foemina prolis,
Quam paritura breui postmodo mater erat.
Hinc mirum solito quam tempore uisa sequenti
Letior & uultu tota serera fuit.
Nulla fatigarunt tenerum ieiunia corpus,
Iam nec ut ante fames languida mēbra premit.
Lauta sed ornabant oneratas fercula mensas,
Splendidasq; dabant prandia leta dapes.
Nec mora præmonstrata fidem promissa sequuntur
Et foecunda Deo corpora dante gerit.
Parturit expleto generosam tempore prolem,
Digna puerperio gaudia nacta suo.
Edidit hæc sobolem Samulem nomine partu,
Congrua uox puero nominis huius erat.
Quem reor esse sui sic fati lege uocatum,
Hunc quia multiplici mater adepta prece est.
Qui tener ut matris puer est a lacte remotus,
Iamq; ministerijs apta iuuenta subit.
Mater consuetam properantius iuit in ædem,
Et carum secum leta gerebat onus.
Litatura tribus uitulis totidemq; farinæ
Triticinæ modijs concomitata uenit:
Quæ festina locum fausto pede contigit illum,
Hanc quo polliciti mens memor ire iubet.

Iamq;

Iamq; sacerdoti puerum dicat ista profando:
En tibi promissum uir uenerande decus.
Seruiat hic domino mea ceu promissa sonabant,
Hæc mihi cum peterem, pignora, moesta thori.
Quod prece, nulla uirū quem flectunt robora patrē,
Vincō measq; preces nulla repulsa premit.
Hinc tibi dixit ago reuerenti pectore grates,
Qui dextra mundi uasta theatra regis.
Dū mihi uita manet, dū sanguine membra calefcū
Dum uigor in tepido corpore uiuus erit.
Nulla mihi uenient obliuia muneris huius,
Secula donec erunt mens memor huius erit.
Nam tua cura meas non aspernata querelas,
Immiti nec opem denegat ore Deus.
Hæc documenta tibi uitæ matrona reliquit
Gens hominum uarijs quæ gemis acta malis.
En hoc fœmineo monet hæc in corpore uirtus:
Illius exemplo nos decet esse uiros.
Heu quam magna Deo tantum confidere res est.
Turbatum subitis nec titubare malis.
Ille uir ante moræ quem nulla pericula frangunt,
Quam tardantis opem spe meliore capit.
Nulla Deum uincunt Mauortia bella Gigantum,
Non ui sed querulo uincitur ore Deus.
Quo super est rerum non ulla potentia uictrix,
Illum sola precum fœmina uicit ope.

Quem

Quem superare uirum si millibus impetus esset,
Cum uolet ad stygias fulmine torquet aquas.
Hunc tamen una sua prece foemina flexit incermis,
Anna triumphatrix praemia leta ferens,
Sic diuina solet dubijs clementia rebus
Ludere, longa morae tempora saepe facit.
Saepe paternus amor uinci quam uincere mauult
Executit hic uicto saepius arma Deo.
Cumq; diu grandem inuitus praetexuit iram
Sponte sua uictus totus amore patet.
Corde reprendit enim quam moribus arguit iram,
Ora negantis opem, corda iuuantis habet.
Saepe tacentis enim mores habet alma potestas,
Sic solet hac nostra comprobata arte fidem.
Quoq; seras animo te damna sequentia fatis,
Hac didicisse uia cura paterna cupit.
Dumq; nocere putes diuina potentia prodest,
Magnaq; pro leuibus dat bona saepe malis.
Desperauit ubi quis totam mente salutem,
Spe citius miseris auxiliator adest.
Vincimur exemplo haec nos uera fuisse fateri
Nostra quod hic humili carmine Musa refert.

FINIS.

UNI
s.
mis,

lt

D

ram,

t.

o

H

H

II

III

efert.

M

O

:

mi



AKT 1762

ms

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



B. 189
II c
1762

RIA
AE VXO.
ELEGIA
ITA ET DE
neroso viro
prestan
Iohanni

ymo Ofio
si.

GÆ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

THECA
VIANA

12

